

## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan.  
Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In  
Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In  
singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

12. De præscribendo tempore meditationi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](#)

et. Nos interea mortificemus sensus nostros exteriores ut participare possimus de interioribus: nam teste Gregorio: *Vbi externus sensus clauditur: mox internus aperitur.* Contra vero teste Augustino: *Internus sensus dormit, si suis externis voluptatibus se tradit.*

## CAPUT XII.

*De praescribendo tempore meditationi.*

**O**rationis duplex tempus esse potest: unum Oratio-  
quotidianum & statum, alterum extraor- nis tem-  
dinarium, cum ad unam vel plures hebdomadas, pus du-  
ceteris curis sepositis, homo se tradit divino- plex.  
rum commentationi, quod ob plures causas sus-  
cipi potest. I. Ad feriam conversionem, per Extraor-  
accuratam & generalem confessionem. II. Ad dinaris.  
comparandum mysticæ hujus Theologiæ u-  
sum per plures hebdomadas, sub aliquo spiritua-  
li duce. III. Ad consulendum Deum de vita  
statu, vel etiam de negotio aliquo gravi susci-  
piendo. IV. Quando aliquis vir in hoc genere  
exercitatus, sentit se languere, ad excitandum  
spiritum. V. Quando etiam nihil horum sub-  
sistit ad fruendum Deo per otium,

Ordinarium & quotidianum tempus non Ordina-  
potest omnibus idem praescribi; utile foret manere rium  
aut vesperi horam unam ponere, exemplo tempus.  
Christi, cum objecit Apostolis: *Non potuisti una Mat. 26.  
hora vigilare mecum? Si minus liceat horam da- 40.  
re, saltem medium; aut quartam partem & in*

festis amplius aliquid. Sed quod constitutum semel fuerit , vel ex obligatione instituti , vel ex devotione , debet inviolabiliter observari : alioqui semel aut iterum omittendo , fit ut penitus negligatur. In quo imitabimur Danielem :

**Dan. 6.****10.**

qui nec metu mortis intermisit ternum quotidie precationis tempus ; unde meruit à leonibus illæsus servari. Ita nos ob consuetum orationis tempus non patiemur jacturam aut damnum in cæteris negotijs : ob quæ alioqui solemus à consuetis exercitijs avocari.

**Jacula-  
toriæ  
preces.**

Juvant orationem frequentata per diem ad Deum suspiria , quas jaculatorias vocant orationes , quibus devotio in meditatione concepta fovetur : & qui illi non vacant , per ea supplant illius vices & fructum. Et est eo facilius , quòd brevius , & potest affectuosiùs fundi : neq; enim Deus in multiloquio exaudit : & ita etiam impletur Christi præceptum: *Oportet semper ora-*

**Lue. 18. re** & non deficere : & illud : *Reliquæ cogita-***1.****Ps. 75.****II.**

*tionis diem festum agent tibi. Nam istæ oratio-*nes sunt veluti reliquiæ ex meditatione præcedenti , quas S. Chrysostomus vult minimum ad horas singulas frequentari : ut sint quasi quadam spirituale horologium : & frequentabantur olim , teste Cassiano , à sanctis Ægypti incolis inter labores manuum assidue , cum ingenti fructu : qui potest ex contrario æstimari. Nam si quis tam esset impius , ut per momenta in Deum contumelias jaceret , quantum is sibi malorum cumularet : tantumdem vir pius me-  
ritorum ,

ritorum, per religiosos affectus identidem expressos, sibi procul dubio conquiret.

## CAPUT XIII.

*De usu sequentium meditationum.*

**V**ARIUS usus potest esse sequentium meditationum. I. Ut serviant lectioni spirituali, in qua Deus velut loquitur legenti ea, quæ scripta sunt intus, mentem de iis illuminans, affectumque movens; quare debent attentè legi, neque cursim, sed cum Meditatione quadam, & petita gratia cum fructu legendi: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Reg 3.9.

I.

II. Ut præbeant inateriam meditationis, juvat enim ad colligendam mentem, quando super punctis meditationis aliquid prælectum est, & possunt inde colligi certa puncta meditanda, quot sufficiant: affectus autem, petitio-nes, & colloquia non sunt conceptis verbis ex libro sumenda, sed suggerente spiritu formanda.

II.

III. Ut Patres spirituales inde suos instituāt, & informent in ratione meditandi, suppeditatis punctis meditandi, pro capacitatem & necessitate cuiusque; quin & ad exhortandum & extimulandum ad perfectionem pro ratione status, conferre possint. Ob quos fines in meditatio-nibus afferuntur multa ex sacris litteris & Pa-tribus, & habent, in quo exercere se possunt, incipientes, proficientes, atque ipsi perfecti.

III.